

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

erga omnes domesticos hilaris et comis fuit. Rmum. *Cremiphansensem* secum adduxerat. Altero tamen die summo mane, licet tempus esset frigidissimum diesque Dominica, abivit: quem abeuntem Rmi. DD. duo abbates *Cremifanensis* et *Garstensis* usque in *Seitenstetten* honoris et observantiae ergo comitati sunt.

Die 14. Febr. in Dominica Sexagesimae R. D. P. *Gabriel* Capucinus, qui iam *Styrae* ultra annum concionatus fuerat — eo quod propter senium ad concionandum debilior videretur — valedixit; aliam concionem non fecit. Quocirca divina officia adhuc ante horam IX. finita sunt, quod auditoribus propter nimium frigus adeo ingratum non fuit. Circa vesperam tamen frigus hoc non nihil remisit idque propter tempus denuo nivolum.

Circa haec tempora ex ordinatione Ducis Bavariae alterum signum sub capitaneo *Godefrido Freistadium* versus abivit.

Paucis interlapsis diebus, sc. 19. Febr., capitaneus *Schötelius* cum suo quoque signo discessit, post cuius abitum rursus confestim 7 illa signa Gallorum, qui praecedenti autumno circa festum d. Michaelis in Hungariam missi fuerant, *Styram* ingressi sunt multis tamen de suis in Ungaria amissis, qui ab Ungaris trucidati fuerant. Hi in festo Bacchanaliorum mirum in modum, praesertim superiores, in equis hinc inde per urbem evaginatis gladiis, sine cuiusque tamen damno aut laesione sese recrearunt.

Circa diem 19. et 20. denuo densissima nix cecidit, postquam insolitus ventus et magna perturbatio aëris insecta est, mox prius frigus vires suas per aliquot dies resumpsit.

Die 21. Febr., quae fuit Dominica Quinquagesimae, R. D. P. *Marcus* R. D. P. *Gabrieli Styrae* in concionandi munere successit atque hoc die primam suam concionem fecit, qui iam hactenus *Viennae ad Scotos* per novem fere integros annos concionatus fuerat, cui ibidem R. P. *Dominicus* substitutus fuit.

Vigilia d. Matthiae in ipsa festa Bacchanaliorum incidit, quocirca eo die ieiunium quadragesimale observari coeptum est.

Hoc die propter mortem Summi Pontificis „Requiem“ in *Styrensi* ecclesia cantatum est.

Die sequenti, in festo d. Matthiae, in templo omnia de tempore peracta sunt. Qui fuit Dies Cinerum, in foro nihilominus feriatum est, ipsum vero festum sequenti die etiam in choro celebratum est.

Eodem die Rmus. ratione sui officii *Linziium* abivit, unde vix ante festa paschalia reversus est.

Lubet hic cuiusdam rei *Styrae* usitatissimae mentionem facere. Cuiusdam civis uxor his diebus mortuum infantem

Steyr.
Pfarr-
prediger.

Kälte.

Militär.

Witterung.

Steyr.
Pfarr-
prediger.

Kultus.

Garsten.
Steyr.
Protest.
Kinds-
leiche.